V/13

FORTUNA
in Lechiam
HOSPES.
Seu
FELICISSIMUS
SERENISSIMI REGII
ELECTORALISq; PRINCIPIS
FRIDERICI AUGUSTI
In Poloniam Adventus
Ab Equite Polono
CELEBRATUS.
ANNO DOMINI
1726.

VARSAVIÆ Typis S. R. M. Collegij Scholarum Piarum.

PRINCEPS SERENISSIME.

Quidquid humanitatis, scientiæ; quidquid promptitudinis, Gentis meæ civilitas habet, id totum in felicissimi adventûs Tui applausum, liberaliter, impendit HOSPES OPTATISSIME. *Hoc sanè officijs nostris incumbebat, ut Qui universorum Votis destinatus ades, cunctorum pariter excipiaris lætitiâ, vel tùm maximè, cùm in Hospitali Principis vultu, singulorum prætensio, suas abundè inveniat delicias. Qualis illa in Augusta Juventute, Majestatis cum comitate conjunctio! Quale non affectatæ clementiæ, placendi in Principe studium! vix oculis suis credit Civium admiratio, quæ venientis fortunæ plenissima imagine, spiritus & vocem colligit, ut aliquando exclamet. Libertatis quidem istud arcanum est, divinandi tamen non excludit conjecturas, quæ eò manifestiores sunt, quòd tacitus propensarum*

men-

mentium consensus, illa omnia, jucundâ meditatione concipiat, & secretiùs susurret, quæ apertiùs postea loqui non erubescet. Unde nec ominari difficile, nec precari immaturum est. Adoramus purpuratæ diei, in adventu Tuo præcurrentem Auroram, Serenissimam lucem in Solio Nostro expectantes. Prægustamus futuræ spei blandimenta, in Præsentium dulcedine, & veneramur Æterni Consilij Providentiam, quæ tam exornatam Principis Indolem, intuentium sistit oculis, ut & Præsentis contemplatio, omnium ad se alliciat amores, & absentis memoria, æquale sui in Polonia relinquat desiderium. Quanquam ne id quidem sinè injuria gentis faceres, si svavissimâ consvetudine allectos desereres Polonos, qui felicitatis Tuæ speciem monstrari sibi pariter ac eripi, ferrent ægerrimè. Habes eundem nobiscum Patrem, AUGUSTISSIMUM *Genitorem, habe & communem Patriam, non conditione quidem natalium, sed Paternâ Purpurâ Tibi consangvineam, & affinem. Mane itaq; & ex hospitali Numine, domesticum Sidus, tempestates Nostras non desere, donec se se tranquilliori explicuerint Sereno. Ut verò vota Publica finiam in constantis meæ erga Serenissimam Stirpem propensionis tesseram, hos sub umbra Tua ludentis Camenæ labores, pedibus Ejus substerno. Suscipe innatâ Sacris vultibus amænitate, non semel jam notam magnisq; virtutibus obligatam Pòësim. In qua, quæcunq; tandem legeris, illa omnia clementer intelligas, Vatem me potiùs scripsisse, quàm Pòëtam.*

POEMA.

ARGUMENTUM.

AD primum Sereniſſimi PRINCIPIS in Poloniam adventum Virtutes gloriabundæ conveniunt, inter quas Relligio ſuarum anxietatum ſeriem referens, iysdem à Pietate Hoſpitis remedium expoſcit. Tùm intaminatus Lechicæ Nationis Honor, injurias ſibi ab exterorum traductionibus irrogatas, magnanimiter refutando, à ſtrenua PRINCIPIS advenientis manu ſuffragium expectat, optima Patriæ ſuæ ab auſpicatiſſimo adventu auguria erigendo.

SEû Te Patris amor, Lechiæ ſeû cura (voventis,
Ceû demùm populi ſuſpiria longa (tulerunt,
Fauſtus ades PRINCEPS; etenim nil vultibus iſtis

Commodius Gens noſtra videt, dum bella moventur,
Improba dum tumidos vicinia ſervet ad enſes,
Fortis in auxilium generoſæ Gentis abire
Non dedignaris; calcatâ nempè quiete
Pacificæ vitæ, fruſtrà retinente voluptâ,
Hoſpes in externam concedis vota ſalutem
Tám pius, ut ſe ſe paſſim permittat habenis
Relligio tractanda Tuis, tàm promptus & audax
Ad juvênile decus, genij florentis, ut ex nunc
Ultio Sarmatici Tecum reparetur Honoris.
Sed nè plura loquar, finem cupiente Camenâ,
Ad numerum redigo ſummæ compendia laudis,
Et pariter ſileo; Te ſcilicet hoſpite PRINCEPS,
Optima Sarmaticis redijt fiducia rebus.
Expectata diu poſtquàm rumore ſecundo,
Explicuit ſe ſe fauſtiſſima fama per orbem,
Adveniſſe diem, quâ PRINCIPIS ora tueri
Et liceat dulci cupidiſſima lumina, pridem
Paſcere conſpectu; laribus profuſa relictis
Urbs coit, & certo ſolatia quærit in ore,
Hoſpitis Auguſti; cujus felicior orbis
Lechicus intuitu, venturæ gaudia ſortis
Captat, & exultans jàm ſuccedanea rebus
Fulcra videt pronis, Majeſtatiq; futuræ,
Deſignant oculi præſagia plura ſilentes.
Muta quidem certoq; velut prærupta ſtupore,
Vota ſalutantûm circum numeroſa recurrunt,
Attamen officium peragit ſpes muta loquendi;
Quem ſiquidem Populus, præſenti Numine ſentit
Adve-

Advenisse hodie; faciens ex Hospite Patrem,
Protinùs optatam clamabit adesse salutem.
Vox erit in votis; nunc Te studiosa tacente
Circuit amplexu Populorum cura; nec ista
Læserit Augustum propensio, quippè precamur
Ut gerat æternos Pater immortalis honores,
Sed si sera dies longissima stamina rumpet,
Tu ceû prævisus sis immortalibus Hæres.

Nec tantum spectando viam civilibus ornat
Obsequijs humana meæ contentio gentis.
Ipsæ virtutes, Tecum adventante superbæ
Conveniunt, pompamq; struunt, ridentibus astris.
Hìc pudor, & pietas, animiq; patentis apertus
Candor, & egregio concinna modestia gestu,
Fert exemplarem misto moderamine vultum.
Inquè DVCIS facie, virtus non una laborat,
Sed cunctæ dotes aliquem duxêre colorem,
Ut consummatam possent formare juventam.
Inter sydereas verum primæva sorores,
Relligio, purô manifestius eminet ore,
Quæ complexa manus ad se tendentis alumni,
Talibus eloquijs sudantia labra resolvit:
Exoptatus ades, cunctis virtutibus Heros
Cunctarum missus pariter, genitusq; decori,
Nulla tamen potiore salit, gaudetq; voluptâ
Quàm mea conditio, varijs quæ saucia curis,
Expectat certam Domino veniente quietem.
Nam licet auxilio pietas Genitoris adesset,
Et fuit in promptu dextræ vindicta probatæ

 Quæ

Quæ tot bellorum propè consvetudine fortis
Nullius credo metuit discrimina pugnæ.
Hoc spondet fortuna Ducis, belliq; prioris
Successus, faciuntq; fidem transacta futuris.
Verum Sarmaticis, major fiducia signis
Accedit, quando pietas conjuncta duorum.
Quidquid habet pretij, nostros submittit in usus,
Auxilioq; parat Gentis, totumq; cruorem,
Nunc Augusta Domus, Patriæ miscere periclis
Non dubitat, nihil est jàm forsitan orbe relictum,
Saxonico, quod non impenderet illa saluti
Lechiadũ, postquàm totam cum Sangvine stirpem,
Saxoniæ eripiens, frustrà sua damna dolenti,
Casibus in clypeum quendam communibus offert.
Ergo quid hæremus, quid publica bella moramur?
Cur dubitet de sorte fides? cum tanta gerendi
Copia conflictûs animosos erigat ausus.
Quis formidet adhuc, quando his commissa lacertis
Alea fortunæ est, quidquid matura jubebit
Dexteritas PATRIS, faciet formata Juventus,
Omnibus auspicijs, fortisq; pericula nostræ,
Vertet in ingentis florentia serta triumphi.
Utq; tuas acuat generosior ultio vires,
Rem brevibus memorabo metris, quæ causa tumultûs,
Dissidijq; fuit popularis; curq; maligna,
Pars Europei sua cantet Classica tractûs.
Jstula Sarmaticos inter vastissimus amnes,
Postquàm se sensim fluvialibus auxerit undis,
Mænia vicinæ lambit rapidissimus urbis,
Quàm

Quam Torunenſem veteres dixêre Coloni.
Jlla diu Lechicis conſtans addictaq; Sceptris
Non fluxæ fidei meruit præconia, ſi non
Municipum Nomen maculaſſent probra fidele.
Scilicet effrenis maleſvaſa licentia vulgi,
Seu propriæ fæcis, violento percita motu,
Fecit iter ſceleri; permiſſio ſive faventis,
Prona magiſtratûs, peccandi crimen adauxit.
Jd mihi non conſtat, ſatis eſt utrinq; reatûs,
Vulgus enim ſprevit communia jura, viciſſim,
Culpa magiſtratûs nec non manifeſta videtur,
Quod non ſit rabidæ menſura coërcita turbæ.
Sed quæcunq; rei fuerint fundamina geſtæ,
Nullus erat quem non indigni cauſa tumultûs,
Jn juſtas moveat lachrymas, cui vulnus apertum,
Non adigat plures ſenſuro corde dolores.
Seditioſa manus, ſiquidem, poſtrema popelli,
Colluvies, tandem fidei dominatis, ad aras,
Auſa fuit Sacræ Divûm vim inferre quieti.
Quis potuit numerare viros, quos impius ardor,
Egit in excidium populo plaudente nefandum.
Nec loquar ulterius; divertimus inde tepentes,
Plorantesq; oculos, ſed tu juſtiſſima rerum
Arbitra Sacra Themis, cui competit ultio facti,
Jn tot Sacrilegos pœnas meditare nocentes.
Finge nihil noſtras aliud lucere per aras,
Quam veterum ſpretis idola ſimillima fanis;
Falleris impietas, devotio quippe latina.
Non coluit truncos nec fuſi fruſta metalli,

 Sed

Sed per visibiles confestim adjuta colores,
Tendit, ad invisos fragilis reverentia vultus.
Si vetitum non est Patrum post fata colossos
Jn memori servare Domo, dulcesq; tabellas,
Quæ caram revocent, oculis animoq; figuram:
Quis vetat æternam Populo præponere normam,
Ut dubias mentes ducant exempla piorum.
Si scelus est ingens, Regum fregisse nitentes
Effigies, si forte scelus, fumantia nigris
Atria consulibus, petulanti frangere dextâ:
Supplicium reor omne minus, tàm deside facto,
Quod super æternum sua crimina jactat olympum.
Nec surdis res dicta Dijs; vindicta repente
Ingruit, ac operi subito data pœna procaci.
Vulgavit vix fama nefas, cum publicus arsit
Zelus, & à Lechico commissio facta Senatu,
Ulta fuit rigidè spretorum jura Sacrorum.
Comprimís Rezner, quem conniventia sontem
Fecerat, excessum gladio plectente piavit:
Mox reliqui, de Plebe rei, quoscunq; nefanda
Complicitas tenuit, sceleris popularitèr acti,
Carnificis feriente manu mortale rebelles
Amisêre caput, tumidâ cervice revulsum.
Tunc primùm lustrata fuit plebs integra noxis,
Et quæ prostratas paulò antea polluit Aras,
Eluit infamem lachrymis civilibus ausum,
Inq; suo se se pudibunda cruore volutat.
Visa tamen post hæc lætari; nempè Lutheri
Martyribus præstò sex accessêre latrones.

Actio

Actio sic stulti plexa est temeraria vulgi,
Sed quia credidimus, veri non absq; colore
Invidiâ fidei populi crevisse tumultum,
Debuimus punire simul, pariterq; protervum
Dogma, quod instillat rabidum profitentibus œstrum,
Ac implet proprios quâdam feritate sequaces.
Commoda se planè cupientibus obtulit ansa,
Et longis quæsita vijs; ut facta Latinis
Plebis inurbanæ concursu, injuria sacris
Afficeret paribus Lutheri fana ruinis.
Plena vetustatis, veteriq; stupenda nitore,
Stabat in ambitu moles spectabilis urbis,
Quam custoditam per sæcula plura Minorum
Obsequijs, semper tenuit Romana potestas.
Interea Lechicis dum grassaretur in oris
Aura nocens, urbis tetigit sors dira Colonos:
Nec populos tantùm, tàm mortifer halitus afflat,
Sed per Claustra furens, sacros violando recessus,
Vitales miseris Patribus, præcluserat haustus.
Unus erat frater, Sanctâ de styrpe superstes
Qui postquàm venis virus mortale recepit,
Sollicitus moriendo fuit, ne post sua fata,
Splendida vulgari patuissent Templa rapinæ.
Quare præ memori consignans cuncta papyro,
Prorsùs ad urbanum referens documenta sigillum,
Restituenda suis Dominis, cum clavibus offert.
Nacta Magistratûs solertia subdola tempus,
Depositi tandem violando jura fidelis,
Ritibus externis, purissima Templa profanat,

Sic cum peſte ſimul, contagia cæpta Lutheri,
Infecêre ſuis altaria ſana venenis.
Quid quæſo Martine Tibi cum clavibus iſtis?
Quas conſtat ceſſiſſe Petro; redde ergo doloſè
Uſurpatorum Sacraria mæſta Penatûm.
Nam licet, ad præſens tolerantia noſtra ſinebat
Vos conteſtati per jura vetantia ſani
Relligione frui, quoniam tamèn improba vulgi
Seditio, priùs auſa fuit, violare Latinos
E ſacra Lutere Domo, jàm protinùs exi,
Poſſeſſorq; malæ fidei, prætenſa remitte
Jura laris, ſiquidem neglectu gentis abuſus
Effrontem reſeras aperiſq; tumultibus urbem.
Redde Petro claves; fur es, non janitor ædis.
Deſierat laſſata fides; oculiſq; dolentèr
Tandem Chriſtiadum per ſingula Regna reductis,
Reſpexit plorando tuum FRIDERICE juvamen
Venit & ad quæſtus ſimiles memorabilis olìm
Gentis honor Lechicæ, faſtum qui præter avitum,
Hoſpitis adventu proprios renovando nitores,
Viſus in antiquæ culmen conſcendere famæ;
Et vulnus commune dolens, facundiùs inquit:
Sic res acta fuit rigido juſtiſſima zelo,
Quas tamen in Patriam viſa eſt moviſſe procellas.
Totus ad arma coit Luteri mundus iniqua,
Jam lituos, jam bella ſonant, jam denique livens
Terra ſuos juſſit latrare Britanna moloſſos.
Jamq; velut gladijs, modo prælufura cruentis,
Exacuit calamos, hebetiſq; volumina plumæ,
Ex-

Expediens dictis convitia mille protervis.
Ratisbonensi quæ tandem gesta Senatu,
Et meminisse piget! Finck dum impatiente saliva
Contra Sarmaticam Temidem maledicta spuebat;
Barbariem gentis, diræq; vocabula stirpis,
Jgnavâ levitate notans; si gloria Judex
Esse velit litis, perdes temerarie causam.
Seû etenim Lechicæ Sobolis, palpaveris enses,
Seû genium, invenies limatum semper acumen.
Vos ego crudeles titulo potiore, Britanni
Compello, si fata Mori, Cædemq; Bukinckam
Cromvelli cineres, etiam post funera sparsos
Excutiam, centumq; alios, quos turpiter aura,
Jnstabilis populi, post tot data signa favoris,
Carnificis plerumq; trucem damnavit ad ictum.
Sic quorum nunquam, fortassè Britannia vestra
Esse Parens meruit, feretrum stat facta virorum.
Atq; utinam Patrum furor hic cervice stetisset,
Verum difficilis vulgi, projecta libido
Ad majestatis proruperat usq; ruborem.
Vidit, & aversum pallens Europa retorsit
Jntuitum, quando turbæ plebejius ardor
Jn proprium Diadema furit, ferrumq; repertum est
Jn Scotia, quod tunc vitales frangeret haustus
Regibus, ac miserè Dominantûm colla feriret.
Tale dedit specimen cum Grandibus Anglia facti;
Qualis in invisos fuerit vindicta Latinos?
Mille ferè memorem subeunt exempla stuporem.
Personios, Scotos, Garnettorumq; cruorem,

Supplicium Cotami, memorabo fata Brianti.
Jstorum par pæna fuit, miserabilis uncus,
Ultra quem cupiit procedere dira libido,
Jn nece quærendo passim nova funera; nempe
Postquàm fatali trepidârunt corpora ligno,
Mox immaturâ veluti pietate recisa
Jn vitæ mortisq; moras crudeliter auctas,
Exta dabant resecanda novis lictoribus; & sic
Simplice supplicio, nunquàm satiata Tirannis,
Quærebat geminum productâ morte dolorem.
Dicite nunc quæcunq; placent, si Lechia nostra
Crudelis? meruit sed quale Britannia nomen?
Dum Reginali posuit cervice securim,
Nutrivitque suum, tam claro vulnere fastum.
Quas laudes meruisse putas tàm nobile Regnum,
Cujus inextinctus fundendi Sangvinis ardor.
Non solùm per bellà furit, quandoq; propinquis
Civibus immitis, (sic ulciscente Tonante)
Cladibus externis, plùs tabi fundit ab intra.
Unde nec humanæ meruit cognomina gentis,
Natio supplicijs tantùm distincta: nec inquam
Frustra vos Pelagi natura coërcuit undis,
Ne reliquas Gentes, confinia vestra profanent.
Nos verò natale solùm permiscuit orbi
Contiguo, jussitq; plagâ spirare politâ.
Lenis inest nobis pietas, & mite placendi
Jngenium, scit multa pati, scit cætera cauto
Dissimulare modo, vobis plerumq; remisso
Consilij freno, rabies violenta ferocit.

Utq;

Utq; magis pateat Lechicæ moderatio gentis
Non tantùm calamo, dictis quoq; parcit ineptis,
Quæ Finck inculto nuper fuit ore locutus.
Quodsi fundendi comissâ cæde cruoris
Jnconsulta sitis, peregrinos occupat æstus.
Nec nobis micat ensis hebes, sed prompta cuivis
Dextera fortunæ, certo movet arma triumpho.
Et sic tot Pelagi spatijs, terrisq; remotæ
Lætifero primùm jungentur vulnere gentes,
Primaq; nos inter Commercia Sangvis habebit.
Duriùs hoc angit, mentemq; affligit acerbam,
Quòd mihi, juratis quondam concessa Vasallis,
Erigat inflatas, tumidissima Prussia Cristas.
Bella canit fidei, nondum Regnator adultus,
Mole Gyganteâ vastissima castra parando,
Corporibus passim præstantia monstra stupendis,
Non animis, prompti conscribit PRINCIPIS ira,
Longior Imperio miles, majorq; Borusso,
In Lechicum transire solum meditatur, at istis
Hospitibus non est tellus par nostra ferendis,
Ad tumulos tamen ampla satis cum funere dandos.
Et veluti quondam bellum Tytania proles
Indictura Jovi, vastissima corpora cælo
Opposuit, centumq, manus in prælia sumpsit;
Vulneret ut telis insontia Numina: sic &
Ille Polo semper nomen confine Polonos
Aggressurus, alit redivivo Marte Gygantes.
Res habet arcanum; nàm parvæ gentis, inanis
Fastus, tot peditum mensuram quærit ab umbra,

Certè ſi placeat tranandis apta figura
Hæc maribus, quodſi nos Mars miſcebit in igne,
Amplior in tantis meta eſt ſperanda lacertis.
Non prodeſt menſura viro, ſi credimus armis
Nil tàm procerum, nihil eſt tàm grande profectò
Pugnando, quod non heroicus enſis adæquet.
Non contemno quidem tanti diſcrimina belli,
Aſt expecto diem, quâ decretorius enſis
Decidat, pluris nè valet ſinè mente ſtatura
An vigor, & Lechicæ Gentis cum PRINCIPE virtus.

Talibus inſidijs eſt circumventa Poloni
Imperij perplexa ſalus; tamen uſq; propinquos
Diſcutimus ſperando metus; minimèq; timemus
Quidquid Sarmatiæ præſens fortuna minetur:
Et quæcunq; paret rebus diſpendia: Quæris
Unde mihi tanti veniat jactantia voti?
Unde tumeſcentes animi, num belliger orbis
Mittit in auxilium juſtæ ſua robora cauſæ?
Num cunei denſis cöeunt ad prælia turmis?
Ipſeq; Mars avidis num conſerit arma lacertis,
Orbis ad horrorem? minimè! quid quæſo reſolvit
Impavidam mentem? quis tandem certa futuri
Omina ſucceſsûs Patriæ promiſit aruſpex?
Quid mihi cum fibris, quid cum ſpirantibus extis,
In quibus auſpicium cæpti plebs ſtulta locabat.
Pulchrior eſt ſortis nec non certiſſimus index
PRINCIPIS adventus. Tanta eſt fiducia vultûs
AU-

AUGUSTI, tam faufta Tuæ proportio frontis,
Quam quocunq; fere veniens obverteris Hofpes,
Pax oritur, viridiq; coit concordia nexu.
Nam velut Alcyonum plorans & mæfta propago
Creditur indicium placidæ præferre quietis,
Dum mare confultat pallefcens navita. Nempe
Quantumcunq; freti, violentus fæviat æftus,
Et feriant quaffam quantumvis æquora puppim,
Non timet iratos fluctus, Pelagiq; tumorem,
Sed potiùs ridens, furibundas nauta procellas,
Explicat Oceano, ludentia vela profundo,
Dum videt Alcyones, levibus pofuiffe fub undis,
Et feciffe fui pacata cubilia nidi.
Sic & Sarmaticam quæ portat cymba falutem,
Nulla reformidat redeuntis murmura fluctûs
Fortunæ belliq; fimul fecura minarum,
Præterit horrentes remis felicibus undas,
Dum videt in Patrio Regalis Stirpis amores,
Nidificâffe toro, caftisq; caloribus, aptum
Inter gentiles Aquilas ftraviffe cubile.
Hæc funt manfuræ certiffima pignora pacis,
Quando Saxonicæ fe fe eripiendo voluptæ,
Inter nos transferre Domum Stirps Sacra laborat.
Aût etiam veluti dum fe pluvialibus æther
Obducit nebulis, pulchro Thaumantias arcu
Mille colorati referens folatia cæli,
Poft tempeftates tandem dat mite fereni
Aëris indicium, tenebrasq; refolvit opacas.

Sic FRIDERICE, Tuæ facies diſtincta Juventæ,
Mille per afflictas reſpergit gaudia mentes,
Atq; nigreſcentes adverſo turbine nubes
Diſcutit, egregios dotum jaciendo colores,
In quibus & ſpeciem pacis, belliq; virilem
Tincturam, pariter Lechicus mirabitur orbis,
Atq; ſui, de Te ſumet ſimulacra ſereni.
Scilicet ut fatear, Præſentia Veſtra, vel omen
Pacis erit juſtæ, vel ſpes ſecura Triumphi.
Ergo nec ad ſtrepitum belli convertimus aures,
Prælia conflictûs nec detrectamus atrocis,
Regnorumq; minas, in mutua damna ruentûm,
Præſidij ſiquidem ſatis eſt in vultibus iſtis,
Quos ad delicias populorum Numen adornat.

Inde nihil noſtram poterit temerare quietem,
Talibus incumbit poſtquàm ſubnixa lacertis
Imperij Fortuna Lechi; mærore relicto
Patria ſubridens, confeſtìm gentis honorem
Et fidei cauſas, conceptorumq; labores
Spirituum, Veſtris ultrò deponit in ulnis.
Suſtine labentes, Lechiæq; addiſce dolores,
Ut poſſis placidam rebus conferre medelam.
Hæc ſunt vota Lechis; hæc tædia gentis anhelæ,
Quæ cupit, ut meritam Regalia Serta Juventam
Obſtringant, cupidoq; ferant ſolatia Regno.
Sed video quia ſpontè Tibi formoſa modeſto
Igne

Igne rubet facies, laudumq; recuſat acerras.
Hoc tamen indicium eſt venturæ dulce Coronæ;
Prævia regali nam Purpura ludit in ore,
Quam toties roſei ſuffundit flamma pudoris.
Quare nunc animis, Majeſtatiq; propinquæ,
Parcimus; hoc tantùm feſtivâ voce precantes:
Ut qui, veniſti propenſas Hoſpes in oras,
Longiùs inter nos PRINCEPS, Dominusq; moreris.